SANCTI TRIVIERII, CONFESSORIS,

Dumbarum, & Bresſiæ Patroni,

VITA:

Obſeruationibus illuſtrata, fundatione Abbatiarum aliquot aucta, & fragmentis Vitæ nondum euulgatæ Sanctorum Lugdunenſium locupletata.

Nunc primùm in lucem editur.

Ex Typogr. Hæred. IONÆ GAVTHERIN.
M. DC. XLVII.
Cum Superiorum Permiſſu.

MONITVM.

ACCIPE, Lector, Vitam S. Triuierij, Monachi, & Cōfessoris, eruptã ex Lectionibus vetustissimi Officij manuscripti Ecclesiarum S. Triuierij in Dumbis, & Bressia. Hanc è Bibliotheca sua exhibuit Nobilis D. Iacobus Moyron, I. V. D. famosissimus, quondam Prætor Generalis in Præfectura Lugdunensi, Dom. de Chauagnen, & Baro S. Triuierij, quã rùm diuinæ gloriæ studiosus, & mplificandi eiusdem S. honoris

 cupidus,

cupidus, euulgari summoperè expeteret, eam de verbo ad verbũ, vt ex Officio ipso concepta est, ne qua antiquitati venerãdæ fraus fieret, typis mandauit P.B. Lugdunensis: sed obseruationibus illustratam, fundatione Abbatiarum Insulæ Barbaræ, Athanatensis, Sauigniaci, & S. Petri Monialium auctam, & fragmentis Vitæ nondum euulgatæ Sanctorum Lugdunensium locupletatam, scilicet,

Evsebii, Diaconi Ecclesiæ Lũgd.
Barbarini, Confessoris.
Dorothei, Abbatis Insulæ Barbar.
Ambrosii, Abbatis Insulæ Barbaræ.
Baldvlphi, Abbatis Athanatensis.
Anselmi, Abbatis Athanatensis.
Gavsmari, Abbatis Sauigniaci.

S. TRIVIERII

S. TRIVIERII,
CONFESSORIS,
DVMBARVM, ET BRESSIAE Patroni,

VITA.

IGITVR veneran-
di Viri, cultúſque
Religionis imitan-
di, Beati Triuierij, Monachi,
vitam memoriæ commen-
dando, ſtylo patefacere niti-
mur, quæ, & quanta ſui la-
boris ſtuduit ſubire certami-

na, & noſtris egregiè, exempla monſtrando temporibus memoriam dimiſerit ſæculis: vt non ſolùm ille ſui laboris fructus reciperet; verùm etiã quoſuis ad imitationem ſui certaminis pòſtmodũ traxerit, doceat, poſt glorioſum triumphum, & peccatorum medicinam, & æterni præmij capere ſupplementa. Ab ipſis ergo primordiis, & loco, quo exortus fuerit, ſunt proſequenda.

Ortus igitur venerandi, colendíque Triuierij, Monachi,
1 infra regiones Veſtraſiorũ [1], ſeu Neuſtraſiorum, ex genere

Romanorum [2], de Haturia- 2
ſenſi, ſeu Haturionenſium
territorio [3] fuit. In pago au- 3
tem Teruanenſi [4], Monaſte- 4
rium, quod in ſuburbio Tar-
uannenſis vrbis ſitum erat,
expetiit [5]: & dum cum gra- 5
tiarum actione omnes Cleri-
ci cum plena deuotione ad
Abbatem ſuum commenda-
rent, communi pro ipſo ora-
tione expleta, in Monaſterio
recipi fecerunt. Iam enim eo
tempore, quo Gallia ſub Im-
perij iure erat, inſtitutum ex-
titit Monaſterium iuxta flu-
uium, nomine, *Vlce*, prope
pelagus: vbi Vir ipſe Triuie-
rius,

rius, ex integra deuotione obediens Deo, cùm iam ætatis
6 suæ octo lustra [6] haberet, Clericatus suscepit dignitatem.

Cúmque Galliarum Reges, suæ ditionis, sublato imperij iure, gubernacula promouerent; & postposita Reipublicæ dominatione, propria fruerentur potestate, eue-
7 nit, vt Theobertus [7], filius Theuderici, Clodouei quondam filij, bellum Italiæ inferret, & traiectis Alpibus Italiam inquietaret, celérque reuersus dimissis Ducibus, quibus summam bellorum commiserat,

miſerat, Monmoneleno, Buſcilleno, ipſe ad patriam repedauit. Et intereà Francorum populis regiones Burgundionum[8] hoſtiliter debel- 8
lantibus, pueriléſque indoles captiuas ſecum reducentibus, duo pueri, Radiginſclus, & Salſulfus, de pago Dombenſi[9], qui Breſſia dicitur, iu- 9
xta fluuium Araris, ſiue Sagonæ[10], de villa, ſeu Vatinga, 10
quæ ſex millibus à Preſſiniaco[11] vico diſtat, vbi & riuulus 11
prꝑterfluit, qui dicitur Moneta, ab hoſtibus capti in regionem Neuſtraſiorũ, iuxta Taruãnam ciuitatem, ducti ſunt.

Cùm verò ipſe Abbas ſupradicti Monaſterij,ab iis inquireret,qui ipſos pueros detinebant,ſi pretium pro ipſis acciperent, & ei in poteſtatem traderent : illis gauiſis, placuit pretium accipere, & ipſos Abbati per Sanctum Triuierium miſerunt. Tum S. Triuierius ipſos pueros ſciſcitari cœpit,ſi ad patriam reuerti cuperent. At illi cum magno gemitu, ac lacrymis deſiderij ſui opinionem indicantes, reuerti ſe velle dixerunt,& de propriis hæreditatibus parentum ſuorum, tertiam partem ei, qui ſeipſos

reduceret,

reduceret , cum omni cordis affectu ſe daturos ſpoponderunt. Cùm verò homo Dei Triuierius Abbati ſuo omnia expoſuiſſet , poſt tres annos , cum alimento , victu, & veſtitu munerati , ab ipſo Abbate dimiſſi,& comite eis B. Triuierio dato , anxietate cordis iter carpere cœperunt. Cúmque introïſſent in vaſtitatem eremi,atque opacæ ſyluæ , cui nomen erat [12], *Memphicus*,iam triduo aberrarent, 12
territus vir Dei Triuierius,ne à beſtiis deuoraretur , flexis genibus orationi incubuit, vt miſericordiam cum ipſis

faceret Chriſtus, & Angelum ducem haberent, quo recto itinere viam pacis, gradiendi proſperitatem tribueret.

Hac igitur oratione completa, ecce beſtiæ, videlicet, duo lupi, manſueto aſpectu leniter venientes, flexo capite, auriculis demiſſis, adulantibúſque caudis innuebant iter eorum, per ſemitam antecedentes ad viam publicam, eóſque ab errore ſolitudinis dirigentes, quovſque ipſi recognoſcere potuerunt cœptum caput itineris, gradientes ad patriam, in diœceſim Vrbis Lugdunenſis, in

Breſſiam

Bressiam ad locum iam dictum deuenerunt: at illi, qui de captiuitate adducti fuerant, de omni substantia parentum suorum, tertiam partem homini Dei obtulerunt. Igitur vir Dei Triuierius piè in corde suo conferens, ne terrena eum à deuotione Christi separarent, eis fertur dixisse: Hæreditas patrum vestrorum vobis sufficiat: ver un tamen beneficium necessitati meæ indulgete hoc, vt iuxta habitaculum vestrum cellulam paruulam, & hortulum paruulum habeam. Quod illi gaudentes sine mo-

ra facilè impleuerunt. Poſt hoc autem, præfatus Dei cultor, ouiculas eorum multo
13 tempore [13] paſcens, ibidem habitauit, hoc ſecum meditatione peruigili indeſinenter conſiderans: Si ad locum, vnde huc acceſſi, reuerſus fuero, ne fortè perplexitas interualli defatigatum me reddens impediat, atque ferarum quarunlibet periculum incurram, pertimeſco. Quòd ſi me caſus euadendi, diuina ſubueniente cuſtodia, huc vſque perduxerit, ſuſcipiendi honoris ne immeritò grauer, vereor, ac per hoc

propoſitæ

propoſitæ ſeruituti diuinæ Religionis inobediens cultor exiſtam.

Hæc igitur, vt dictum eſt, cùm quotidie meditaretur in exilij ſolitudine, pro nomine Chriſti ſubire potiorem ſententiam elegit, Dauid Prophetam recolens non dedignatum paſcendarum ouium ſuſcepiſſe cuſtodiam: Iacob quoque memorans, exilium appetiiſſe, atque Moyſem in alienæ regionis peregrinatione aduenā multo tempore fuiſſe: itaque die, noctúque pſalmis, hymnis, canticis, ieiuniis, atque vigiliis,

liis, & orationibus cum lacrymarum vbertate ad Dominum insistens, desiderij sui satagebat explere laborem. Id secum voluens, quo pacto, ac viuendi more, seipsum institueret, cùm iam in Psalmo trigesimo habeatur: *Exaudi, Domine, orationem meam: auribus percipe lacrymas meas. Ne sileas, quia incola sum apud te in terra peregrinationis, sicút omnes patres mei.* Et item in alio Psalmo: *Cantabiles erant iustificátiones tuæ in loco incolatus mei.* Et iterum: *Mandata Dei scrutari inquieta mens non potest.* Ad ipsum

ipſum quoque Domini recurrens dictum: *Martha, occuparis, & ſatagis erga multa. Porrò vnum eſt neceſſarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quæ pars Marthæ non reprehenditur, ſed Mariæ laudatur. Charitatem Dei, & proximi tota mente retinere, ſe ab exteriori actione requieſcere, ſoli deſiderio Creatoris indeſinenter inhærere, vt nihil iam agere libeat; ſed calcatis curis omnibus ad videndam faciem ſui Creatoris animus inardeſcat, ita vt nouerit, carnis corruptibilis pondus cum

mœrore portare, totíſque deſideriis cæleſtem patriam appetere, illuc hymnidicis Choris Angelorum intereſſe, admiſceri cæleſtibus Ciuibus, de interna in conſpectu Dei incorruptione gaudere, vt qui in hac vita poſiti contemplationis intimæ ſola initia deguſtamus.

Sed, cùm iam longæuus, & multis temporibus Beatus Triuierius, ita animam ſuam ex integra deuotione cuſtodiret, & ad loca ſancta, quæ in circuitu erant, præcipuè Priſciniaco vico, Vrbis Lugdunenſis Diœceſis, diebus Dominicis,

minicis, Resurrectionis, interesse sacris Missarum solenniis studuit, vbi publicè Psalterium, quod secum habebat, super sanctum altare posuit: & reuersus ad cellulam suam, post aliquod tempus, dum in agro oues pasceret, & Psalmis, & orationibus diuinis insisteret, septimo decimo Kalendas Februarij, genibus flexis in terram, cùm orationes ad Christum Dominum funderet, spiritum emisit. Eiusmodi ergo fine Beatissimi Confessoris circunquaque diuulgato, vicini populi turmaliter af-

fluentes, ac ligonibus terram egerentes, in eodem loco, vbi ſolitas orationes frequentarat, cum conſueto indumento, & ſine vaſe ligneo, & lapideo, ſacrum corpus eius reuerenter poſuerunt, & complentes humo foſſam, nomen ipſius dixerunt, ad
14 Sancti foſſam. [14] Sic per multa ſpatia temporis exoleuit ſancta eius memoria, donec completis quatuordecim luſtris, , duobus adhuc hominibus viuentibus, qui eum in hac vita viderant, cœperunt iuxta ſanctiſſimi viri ſepulcrum, virtutum plurimarum inſignia

insignia cælitùs declarari, claudi gressum, cæci visum, ægri sanitatem recipere.

Multis modis in visionibus nocturnis, aliquibus Christianis reuelatum fuit, vt annunciaretur ad illustrem Sanctimonialem, [15] quæ iuxtá 15
locum illum prædia diuitiarum tenebat, nomine Epiphania, siue Emenone, vt ipsum corpus sanctum de profunditate terræ ipsa amouente, leuaretur à Sacerdotibus, & in sepulcro iusti funeris conderetur. Sed illa nolente, metuens, ne seductio inimici, vel illusio

ſomnij eſſet , dicente Apo-
ſtolo:quia ipſe Satanas trans-
figurat ſe in Angelum lucis,
& miniſtros ſuos ; componit
noctem pro die , tenebras pro
luce : iteratis vicibus cùm ei
annunciaretur , operi ſancto
inſiſtere dum nollet , percuſſa
eſt in capitis cerebro , ita vt
non poſſet ſe vehere : tum
conuocatis ad ſe Sacerdoti-
bus , ieiuniis , nocturníſque
vigiliis cœperunt cogitare,
quid opportunè agere debe-
rent omnes eius Clerici ; &
cum ipſis iam dicta Sancti-
monialis , ieiuniis diei , & vi-
giliis nocturnis deprecaban-
tur

tur Domini noſtri Ieſu Chriſti miſericordiam; vt oſtenderet eis, quod Deo placeret, vt facerent.

Tum vni ex ipſis Sacerdotibus reuelatum eſt, ne ipſa illuſtris fœmina metueret, tam opus ſanctum perficere: illa autem facta certa viſione, fecit pia mulier illuc conuenire Sacerdotes; & multa ſtipendia, quibus fieret, quod fuerat mandatum, promiſit. Erat autem Monaſterium, nomine Auxilla, ſecus Priſciniacum, tria millia iter habens: cùm autem percrebruit, quod agere diſponebant;

bant; pridie ab ipſa die, nocte furari venientes tres Cle-
16 rici, ab ipſo Auxilla[16] Monaſtério egerentes humum, cùm vellent ipſum ſanctum corpus aſportare, & profundè foderent, exiſtimantes lignum, aut lapidem inuenire, vnus è Clericis, caput Sancti Triuierij percuſſit; & mox cæcati, & rigore percuſſi, & quaſi clauis infixi ſunt, vſque dum ipſi Sacerdotes cum ipſa Sanctimoniali, & multitudine populi venerunt: mouere ſeipſos non poterant; oratione tamen facta pro ipſis, ſani reuerſi ſunt ad ſuum locum.

locum. Sed posteà serui Dei amouentes ligneam cellulam, quæ ibi pro deuotionis sanctitate facta fuerat; inuenerunt corpus Beatissimi Triuierij, Confessoris, illæsum, integrum, & cum omni indumento suo, fragrans multis odoribus suauitatis. Cúmque multi serui Dei illuc conuenissent, præcipuè tres senes Sacerdotes [17] pleni religione sanctitatis, scilicet, Symphorianus Presbyter, Transulphus Presbyter, & Eusebius Diaconus, seniores in Clero, leuantes [18] sanctum corpus, in vno milliario per
17
18

gyrum omnes senserunt odoramenta virtutum, quasi rosarum folia, & lilia, & balsamum, & incensum.

Intereà illustri fœmina à longè aspiciente sarcophagum, cum timore Dei, & psallẽtibus Clericis, ac cereis flammantibus, sicut erat indutus vestimentis suis, nihil amouentes, nisi sanctas Reliquias de coma capitis, condiderunt in sepulcrum; ac cellulam desuper ex lapidibus, & cæmento construxerunt. Pontifex autem Secun-
19 dinus [19] Lugduni Galliæ Vrbis, mox sanctum Altare illuc

luc tranſmiſit,quod ad pedes Sancti ſepulcri ſitum eſt : quo Chriſto hoſtiæ litantur,atque orationũ Officia funduntur: vbi & remedia ægris,& precantium vota,& ſolennia beneficiorum accõmodantur.

Nec abſurdum videtur, huic Operi inſerere, quæ in eodem loco ſunt acta. Vir nobilis, Nigofredus, nomine,cum coniuge ſua, nomine Marcella, habentes filiam, nomine Galliniam, 20
debilem à natiuitate ſua,omnibus membris contractam, pedum languore obſeſſam, quã ad ipſum S. Triuierij ſe-

pulcrum, cum omni diligentia tranſmiſerunt, quia per ſe venire nequiuerat: ſtatim vt ad ipſum ſanctum ſepulcrum manibus illata eſt, & in pauimento proſtrata, omni debilitatę depulſa, ſoſpitati recepta fuit: incolumis, & exultans ad parentes proprios remeauit: omnes quoque populi vtriuſque ſexus, & ætatis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum collaudantes, iugiter exultabant in Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu Sancto in Trinitate perfecta viuit, & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

OBSERVATIONES.

QVIS Author fuerit Vitæ, & Officij S. Triuierij, ex Actis non apparet. Quisquis ille, certè alumnus Ecclesiæ Maioris fuit, qui Officium iuxta ritum eiusdem Ecclesiæ composuit, & Vitam in Lectiones nouem, Psalmis interpositis, distribuit: & quidem sine Hymnis; sed cum Responsoriis, Capitulis, Versibus, & Antiphonis, quæ planè sapiunt antiquissimum Ecclesiæ Lugdunensis ritum. Pium valdè, & in sacris Litteris versatissimum fuisse, ex longiori quidem Procemio, sed erudito, & locis Scripturæ sacræ selectis, quibus totum Opus respergit, videre est. Sanè, nec Historiæ, nec humanioris litteraturæ imperitus fuit. Stylus pro temporum modo satis accuratus, & supra captum æui illius multùm assurgens.

Quo autem tempore euulgatum fuerit hoc S. Triuierij Officium, non definio. Videtur id præstitum esse, post Gallias à Saracenis deuastatas, hoc est, post Ledradi, Archiepiscopi Lugd. tempora, qui ex tabulis sedit, ab anno 799. ad annum 815. Qui quidem Ledradus epistola ad Carolum Mag. Imp. sic scribit: *Deo iuuante, & mercede vestra annuente, in Ecclesia Lugdunensi, ordo psallendi restauratus est.* Putà, ordo ille, qui acceptus à Sanctis Photino, & Irenæo, siue Græcè, iuxta ritum Asianorum, ad quos, tanquàm fidei magistros, scribunt Lugdunenses celebrem illam epistolam de Martyribus Lugd. apud Eusebium, vt contendit Morinus Piorchamus, Opusculo de nobilitate, & antiquitate Vrbis Lugdunensis, ex Psalmis, & Hymnis, totóque Officio diuino, Græcè exarato in cortice, & in Archiuiis Ecclesiæ Lugd. Maioris curiosè asseruato: siue, quod est probabilius, Latino idiomate, iuxta ritum Romanorum Pontificum, quos semper S. Irenæus, tanquàm

quàm Petri succeſſores,& Chriſti Vicarios, conſuluit, veneratúſque eſt. Certè auctus eſt ordo ille, & illuſtratus, Sancto Patiente, Archiepiſcopo Lugd. circa ann. 407. vt patet ex epiſtola 17. lib. 5. Sidonij Apollinaris, ad Eryphium: *Conuenimus ad S. Iuſti ſepulcrum,* &c. *cultu peracto vigiliarum, quas alternante mulcedine, Monachi, Clericique pſalmicines celebrabant*, &c. Ex quo redarguas Authorem Epitaphij S. Nicetij apud Seuertium in Lugdunenſibus, Num. 34. §. 4. vbi ſic de Nicetio, qui ſedit tantummodo ab anno 554. ad 573.

Pſallere præcepit, normámque tenere canendi
Primus, & alterutrum tendere voce Chorum.

Sed pergit Ledradus citata epiſt. ad Carolum Magn. *Vt iuxta vires noſtras, ſecundùm ritum ſacri Palatij, omni ex parte agi videatur, quidquid ad diuinum perſoluendum Officium, ordo expoſcit.* Ritus ille ſacri Palatij, certè alius non fuit,

quàm

quàm Gallicanus reformandus ad ritum Romanum, & Gregorianum, vt fusè probat Gloſſarium Capitularij Caroli Magni, & Ludouici Pij, verbo, *Cantus Gallicanus*, vbi multa de reformatione eiuſdem cantus, authoritate Stephani Papæ, Pipino Rege, & Adriani Papæ, Carolo magno Imperatore: quod & fuſiùs, poſt Gloſſarij Authorem: enucleat Guillelmus du Peyrat, Lugdunenſ. lib. 2. Diſquiſitionum Sacelli Regij, nuper Gallicè editarum. Sed, ne longiùs aberrare videar ab Officij Lugdunenſis reſtitutione, per Ledradum peracta, accipe verba epiſtolæ Alcuini, Magiſtri Caroli magni, quæ eſt Num. 8. ad Fratres Lugdunenſes: *Symbolo Catholicæ fidei nolite noua nomina inſerere, & in eccleſiaſticis Officiis inauditas priſcis temporibus traditiones diligere*, &c. Contra huiuſmodi Nouatores videas, inter Opera Agobardi, Archiepiſcopi Lugd. Ledradi in Sede ſucceſſoris, Opuſcula tria: primum, ad Clerum Lugd. de modo regiminis eccleſiaſtici: ſecundum

ſecundum de veteri ritu canendi Pſalmos in Eccleſia contra ſtultum improbum, ipſáque ſtultitia, & improbitate in omnibus notum calumniatorem, qui erupit, & S. Eccleſiam noſtram, id eſt, Lugdunenſem, non ſolùm verbo, ſed etiam ſcriptis, lacerare non ceſſat, quaſi non rectè, nec more paterno, ſine vſu diuinæ decantationis ſolennia peragentem: tertium verò Agobardi Opuſculum directum eſt dilectiſſimis in Chriſto Fratribus, præcipuè]Cantoribus Eccleſiæ Lugd. de quibuſdam à Sectario prætenſis næuorum, errorúmque caſtigationibus, &c. Sed ne longior ſim, audi Petrum Abelardum, paucis rem totam concludentem, epiſtola ad Clareuallenſem Abbatem: *Lugdunenſis prima Sedes Galliarum, ſola in ſuo perſiſtit Officio, &c. Vnde nata Paræmia: Eccleſia Lugdunenſis non ſuſcipit nouitates.* Sed de Officio ſatis.

1 *Vveſtraſianorum*, vel *Neuſtraſianorũ*, rectè ſcriptum eſt: ex Hiſtoricis enim, & Geographis patet, tempore Clodo-

uei, Regis Francorum, Galliam diuisam in Oſtenrich, & Vveſtenrich, hoc eſt, vt explicat Scipio Duplex ann. 509. in Orientalem, & Occidentalem. Hanc Vveſtriam, ſeu Neuſtriam laxo vocabulo, & ſignificatione dixerunt; illam verò Auſtraſiam. Et quidem Vveſtria, ſeu Neuſtria, complectitur terras, Ligeri, & Sequana fluuiis incluſas, & confinia ad Oceanum vſque: Auſtraſia verò tractum, qui eſt inter Moſam, Moſellam, & Illum, fluuios, vſque ad Rhenum, & mare ſeptentrionale, vt obſeruat Ortelius in Theſauro.

2 *Ex genere Romanorum.* Caue, vocem hanc, *Romanorum*, intelligas de Vrbe Roma, aut eius territorio in Italia. De Gallis antiquis, qui Imperio Romano parebant, omninò accipienda eſt. Ita S. Benedicta, Virgo, & Martyr, Romana dicitur, non quòd Roma in Gallias venerit, vt ſcribit Exquilinus; ſed quòd de Gallis progenitoribus orta ſit, Romanis Imperatoribus ſubditis, putà Lugdunenſibus, Romano iure gaudentibus,

tibus, vt narrat Champierius libello de Claris Lugdunenſibus, vel certè Laudunẽſibus, æquiuoco perfamiliari, vt obſeruat eruditus,æquè ac pius,& de Gallia benemeritus Dom. Sauſſayus Martyrologio Gallicano, 8. Octobris. Eodem ſenſu intelligas,Romanos eſſe, Sanctos Dalfinum,Epiſcopum Lugdunenſem, eiúſque nepotes Dalfinum Comitem Lugd. & fratrem eiuſdem, Ennemundum, pariter Lugdunenſem Archiepiſcopum, & Martyrem. Imò verò antiqui Gallorum libri, *Romans* vocitantur, eadem ratione,vt obſeruat Belforeſius,ſcilicet, vt à libris conſcriptis Francorum idiomate penè Germano,& Latino,diſtinguerentur.

3 *De Haturiac enſi, vel Chaturiacenſi territorio.* Territorium Chaturiacum, in regno Neuſtraſiorum deſcribi, nemo in dubium vocabit,ſi Chaturiacum idem ſit,quod χατῖναροι,& Cattuacum in Theſauro Ortelij, ſcilicet,populi circa Rheni partes inferiores. Et quidem Cattuaci apud Cæſarem ij ſunt, ait

 Marlianus,

Marlianus, qui Duacum inhabitant, Vrbem celebrem in confinibus Flandriæ, Hannoniæ, & Artesiæ. Videant, & iudicent Cosmographi. Item & Duacenses an S. Triuierium gentilem suum agnoscant? Quidquid sit de Hatturia, vel Chatturia, patet error insignis Aduersariorum Baleurei Sauiuliani Historiæ Miscellæ cap. 405. & 406. S. Triuierium in Gallias adducentem, idque post bellum Pictauiense, & pacem ictam inter Anglum, & Francum, de quo bello Froissardus lib. 1. cap. 102. anno 1356. qui Historiæ lapsus quomodo possit benignè excipi, & explicari, dicam vltima obseruatione.

4 *In Pago Taruanensi.* Pagum, seu territorium Taruanense in Neustrasia, illud esse arbitror, quod à celebri, sed sæculo præterito destructa ciuitate per Carolum V. Imperatorem, anno 1559. Teruanna, vel Taruanna nomen accipit: passim Teruanna Morinorum, & territorium Taruannense, ex quo ortus est S. Lambertus, Episcopus Lugd.

ex

ex Angrado Monacho in Actis S. Ausberti, anno 670. Nec frustrà : ex maris enim confinio, & Vlce, vel Olce fluuio, Gallicè, *le Lys*, Latinè verò *Lisio*, vrbem alluente, ex Historicis, & Geographis facilè coniicias.

5 *Monasterium.* Quod, & quale fuerit hoc Monasterium in suburbio Taruanensi, non satis aperit Author vitæ. Ex Abbate tamen, Clericis, & Monachis, de quibus agunt Acta, patet fuisse illustre, qualia vigebant illa tempestate, Sanctorum Columbani, Domitiani, Cæsarij, & Martini, Monasteria. Certè ante illorum omnium tempora, Lugduni floruit celebre Cœnobium, in Insula, quam propter speciem anseris, quam præbet in Arari, voce Gallica, *Hoiam*, Druydæ, eiusdem Insulæ accolæ, vocabant : quod alibi Scriptorum veterum authoritate probandum est : Christiani verò Barbaram, seu Barbariensem dixerunt. Ex quo sacro Conuentu in Gallias, præcipuè Celticam, & Belgicam, ac proinde in Neu-

ſtraſiam, vita monaſtica propagari potuit. Et ne oſtentationi, ſed veritati locus ſit, accipe, quod ex Hiſtoria Lugd. indubitatum eſt. De Longino enim à Sancto Paulo Apoſtolo in eadem Inſula relicto, alibi diſputandi locus eſt, ſcilicet, Sanctum Peregrinum, quem ex Græca inſcriptione, eiuſdem capſæ appoſita, hominem Græcum, & Sanctorum Photini, & Irenæi ſocium quidam ſuſpicantur: alij verò origine eſſe Romanum ex Epitaphio cuiuſdam Peregrini, quod extat in inſcriptionibus Paradini, pag. 425. Sed explicandum: *D. M. Tib. Cladi Peregrini IIIIII viri Aug. Lugud. Cladia-ia Heres ponendum curauit.* Paradinus obſeruat, hunc Peregrinum ex numero fuiſſe Virorum quatuor de Collegio Augurum: ſed lege: *Diis manibus. Peregrini Sextumviri*, (ſeu *Seviri*) *Auguſtalium*, *Luguduni.* Imò verò Sanctum Peregrinum nonnulli exiſtimant eundem eſſe cum S. Barbarino, de quo meminit Bulla anni 1308. pro ſacris Reliquiis

quiis Basilicæ S. Nicetij inuestigandis, Clementis Papæ V. anno 3. apud Seuert. in Lugd. n. 45. §. 7. vbi nominantur S. Barbarini Reliquiæ, statim post illas Martyrum 48. Athanatensium; & ante Sanctorum Sacerdotis, Viuentioli, & aliorum Confessorum: addúntque, dictæ Insulæ Lugdunensi, Barbaræ, & Barbariensis nomen, ab eodem S. Barbarino inditum videri. Certè, siue idem sit S. Barbarinus, qui & Peregrinus, siue alius numero, videas statim post Martyrium Sanctorum Irenæi, & sociorum, hoc est, Seuero imperante circa ann. Christi 204. & 215. in eadem Insula S. Peregrinum vitam monasticam instituisse, legésque sectatoribus præscripsisse. Audi verba concepta Instrumenti à Seuertio citati in Lugd. n. 2. §. 7. & 10. *Corpus etiam S. Peregrini Confessoris ibi requiescit, qui tempore Beati Irenæi, euadens Lugdunensem persecutionem, abiit apud Insulam Barbaram, eremiticam, seu monasticam vitam ibi ducens.* Porrò leges illas monasticas, & rationem

nem viuendi, traditam à Sancto Peregrino, perfecit eiusdem vitæ sectator S. Dorotheus, Abbas, de quo Author Instrumenti ab eodem Seuertio allati, n. 2. §. 2. *Item, iacet corpus B. Dorothei, qui tempore Heli, & Faustini, Archiepiscoporum Lugdunensium, Insulam Barbaram, eiúsque Ecclesiam rexit: is enim Dorotheus debitè fuit prælectus, vocatus Abbas, & Pater à Fratribus, imbutus à paruo in Cœnobio Fratrum, vnde normam seruare studuit Monachorum, quos, vt potuit, docere non destitit, illuminante Dómino*, &c. Sedit autem Helius circa annum 245. & Faustinus circa 258. ex Tabulis.

6 *Octo lustra.* Lustrum spatio annorum quinque definiri solet. S. Triuierius octo lustra vitæ emensus annū agebat quadragesimum, non quidem cùm sacrum Monachi habitum suscepit, Clericis, id est, præcipuis de Monasterio, ætate, scientia, & pietate, ad dignitatem Clericatus euectis, pro Triuierio postulantibus, & suffragantibus: sed, quando idem Triuierius ad dictam

Clericatus

Clericatus dignitatem promotus eſt, Abbate iubente; non autem Sacerdotij: nam eo conſilio, & ex ſummo humilitatis ſenſu, in Dumbis ignotus, & oues paſcens delituit Triuierius, ne regreſſus ad Monaſterium inuitus ad Sacerdotij culmen proueheretur; & poſt varias eiuſdem Monaſterij adminiſtrationes, communi ſuffragio in Abbatem eligeretur.

7 *Theobertus*. Benè Author monet, Theobertum, filium Theodorici Regis, primogeniti Clodouei, Regis Francorum, qui quidem Theodoricus, licèt nothus, tamen in partem regni venit cum fratribus legitimis, Clodomiro, Childeberto, & Clotario Regibus. At verò Theodoricus Metis, aliquando Rhemis, regni ſui ſedem fixit in Neuſtraſia. Theobertus verò, patre mortuo Theodorico anno 537. & regni eiuſdem 34. ex Gregorio Turon. lib. 3. cap. 31. & Aimonio lib. 3. cap. 22. mouit bellum contra Regem Italiæ Theodoricum, &

Alpibus superatis, cum ingenti exercitu, centum, scilicet, millium armatorum, vastata Italia, Gallias repetiit anno 539. Præfectis in Italia relictis, & quidem Germanis militibus, Amingo Germano; Gallis verò Bucellino, vel Bulthino, & Leuthario fratribus; vel, vt scribit Author Legendæ, Bucelano, & Mommoleno: in quo solùm tota illa narratione ab aliis discrepare videtur.

8 *Regiones Burgundionum.* Burgundiam hostiliter deprædati sunt milites Theoberti, Neustrasiam repetentes, quam ex conuentione pridem facta cum Clodoueo, Rege Francorum, possidebat Theodoricus, Italiæ Rex, & maritus Andefledis, non filiæ, sed sororis eiusdem Clodouei: idque cum Sabaudia, & Delfinatu, Arari, Rhodanóque, mediis fluminibus, regna diuidentibus: nulli enim filiorum Clodouei, qui quatuor erant, in partem venisse Burgundiam reperias transuiranam; neque eandem, si in ditione Francorum fuisset, hostiliter deprædari

Franci

Franci attentassent. Sed, quod obseruatione dignissimum est, Lugdunum, licèt Arari interfluente, vrbémque diuidente, sedes fuerit regni Burgundici, tempore Gundebaldi primi, & secundi, Clotildis auunculi; vt patet ex legatione Epiphanij Ticinensis, & Victoris Taurinensis cum Ennodio, nomine Regis Italiæ ad Gundebaldum Lugduni commorantem: tamen facta diuisione cum Rege Italiæ prædicta, in partem regni Childeberti, cessisse Lugdunum, nemo Historicorum ambigit. Ipse enim Rex Childebertus cum vxore Vltrocho, regni sui vrbes cùm lustraret, recognosceretque, Lugduni Nosocomium, seu Hospitale maius fundauit, vt apertè docent Acta Concilij Aurelianensis V. anno 549. Childeberti verò 48. Et Sanctus Sacerdos, Archiepiscopus Lugdunensis, cùm Parisiis in extremis positus, ab eodem Childeberto, Francorum Rege, humanissimè inuiseretur, impetrat à Rege Nicetium nepotem, in Sede Lu-
 gdunensi

gdunensi successorem anno 553. ex Actis Vitæ S.Sacerdotis, & tabulis Archiepiscoporum Lugd. quod certè aggredi non ausus esset Vir sanctissimus, si Lugdunum in ditione Regis Italiæ fuisset; imò Regibus posterioribus Burgundiæ transiuranis restitutis, Lotharius Rex, filius Ludouici, cognomento Transmarini, sorori suæ Mathildi Lugdunum tabulis matrimonialibus in dotem, vt aiunt, reuersibilem constituit; cùm eandem in vxorem duxit Conradus, Rex Burgundiæ Transiuranæ, filius non Bosonis, vt scribit Rubysius lib. 3. Historiæ Lugd. c. 8. sed filius Rodulphi 2. Regis eiusdem Burgundiæ ann. 976. vel 977. vt obseruat eruditè Alphonsus Delbenius, Episcopus Albiensis, lib. 3. de regno Burgundiæ, pag. 118. ex Chronico MS. Sancti Benigni Diuione. Porrò Conradus Rex obiit anno 993. ex Mathilde vxore duos relinquens liberos, scilicet, Rodulphum, Regem Burgundiæ, cognomento Ignauum, & Bosonem, Re-

gem

gem Arelatenſem, qui quidem Boſo, iunctis copiis cum Piſanis, & Genuenſibus, bellum ſacrum cùm gereret fortiter contra Saracenos, ipſe ictus ſagitta, & febre correptus, diem extremum clauſit Maſſiliæ, circa annum 999. vocato regni hærede, fratre Rodulpho Burgundo, qui etiam ſine liberis decedens, Conrado præ dicto ſororis ſuæ Giſleæ viro, regnum Burgundiæ reſignauit, vt ſcribit fuſiùs Ditmarus, Marburgij Epiſcopus. Ex quibus perſpicuè videas velim, conceſſiones illas omnes poſteriores de toto corpore Vrbis Lugdunenſis, eiúſque territorio, factas à dicto Conrado Imperatore, in gratiam filij ſui Burchardi, Archiepiſcopi Lugdunenſis; & eiuſdem Conradi, filij Henrici, cognomento Nigri, in gratiam Helinardi, in Sede Lugdunenſi Burchardi ſucceſſoris: itémque donationes de eadem Vrbe Frederici Imperatoris in regno Burgundiæ ſucceſſoris, in gratiam Heraclij, & Ioannis, Archiepiſcoporum Lugdu-

 nenſium,

nensium, irritas, & nullius planè valoris fuisse, vtpote de re non propria, sed aliena factas, & in præiudicium tertij, Regum Franciæ, scilicet, & Comitum Lugdunensium, & Forensium: vt etiam obseruat Belforesius Annalium lib. 3. cap. 15. anno 1045. mendum emendans Viguerij, nisi subsequentes transactiones Guichardum Archiepisc. Lugd. inter & Guigonem Comitem Forensem, non modò authoritas Apostolica; verùm etiam regia, easdem ratas, firmásque habuisset. Audi verba Philippi IV. cognomine Pulchri, Philipina sua: *Considerantes insuper Comitatum Lugd. priscis temporibus ad Comitem Lugdunensem, Foresiique spectantem, ac postmodum ex permutatione facta cum dicto Comite, qui tunc erat, ad ipsam Ecclesiam Lugdunensem; authoritate tamen, & consensu expressis, nostrorum progenitorum, Regum Francorum, præhabitis & ex eorum subsecuta confirmatione deuenisse*, &c.

9 *In Pago Dumbensi.* Hæc antiquissima est lectio; & non, *Vmbensi.* Vt tamen

men legit alicubi Papyrius Maſſonus, Forenſium, imò & Gallorum Scriptorum decus, forſan in codice corroſo, primáque littera D vocis Dumbenſis exeſa. Fuiſſe autem Dumbas partem Breſſiæ Sebuſianorum, vel Seguſianorum, nemo hactenus dubitauit. Dixi, vel Seguſianorum: quia Seguſianos, & Sebuſianos, littera g in b facilè permutata, eundem eſſe populum, ex Cæſare, Strabone, & aliis eruditè obſeruat doctiſſimus Petrus de Marca, Ordinarius in ſacro Conſiſtorio Conſiliarius, in ſuprema Nauarræ Curia Præſes, & à Rege Chriſtianiſſimo ad Epiſcopatum Conſeranenſem nominatus, diſſertatione de Primatu Eccleſiæ Lugdun. num. 108. Quod & ante illum ſubodoratus eſt Medicorum peritiſſimus, Duretus, ortu Balgiacenſis, in Breſſia, Operibus ſuis inſcribens ſe Seguſianum. Sed, quando Prouinciola hæc, deciſa fuerit à Breſſia, quæ primùm à Comitibus Balgiacenſibus poſſeſſa, poſteà à Comitibus Sabaudiæ diu

detenta,

detenta, vi matrimonij contracti inter Amedeum IV. cognomento Magnum, & Sibyllam, filiam, hæredémque Comitis Balgiaci Bressiæ, & Dumbarum anno 1223. postmodum autem à Dynastis Bellijocensibus in dotem accepta in supremum Principatus verticem euecta fuerit, non Scholiorum, & Obseruationum; sed libelli integri institutum est. Audi tamen Chopinum lib. 2. de domanio, tit. 9. num. 2. *De fide clientelæ Regibus debita Galliæ, dubitauit nemo, nisi suæ Reipublicæ hostis: haud inficior, Dynastas quosdam summum dominatum in aliquibus suis finibus, sibi arrogare: Borbonij Duces iactarunt, se supremos Dumbarum Toparchas, hoc præsertim colore, quòd regionis Primores (* putà Comes Balgiaci, Dominus de Thoyri, & Villarij, & Dom. de Colligni,) *quondam proclamarint in libertatem, eiúsque vindicem, & assertorem Sabaudum, tanquàm sacri Imperij Vicarium, implorarunt, V. Idus Sept. anno* 1398. *qua die Equites illi in ius Cæsarianum transcripti sunt, Allobrogi Vicarij Codicillis.* Atque

his

his conformiter ſcribit Bodinus lib.1.de Republica,c.10. *Les Seigneurs de Beaujeu ſe voulans exempter de la Couronne de France, s'aduoüerent de l'Empire,& furent compris au Vicariat du Duc de Sauoye,duquel auſsi peu apres ils s'exempterent,ſans vouloir recognoiſtre, ny Duc,ny Roy,ny Empereur.*

10 *Araris, ſiue Sagona.* Dumbas, Breſſiámque allui flumine Araris,Geographorum nemo in dubium vocat. Iſtud tamen de Arari ſilentio non eſt prætereundum, ex Tractatu de fluuiis: ſed certè, Plutarcho narrationes ſuas, Calliſthenis Sibaritæ lib. 13.rerum Gallicarum, Clitophontis, & aliorum Hiſtoricorum antiquiſſimorum teſtimonio corroboranti,proprio Authori vendicato, à Viro clariſſimo & doctiſſimo Præſide, Philippo Mauſſaco, & ante illum ab eruditiſſimo in omni politiori litteratura Viro, Nobili Claudio Bacheto,Domino de Mezeriac,Notis ſuis MS. in Plutarchi Opera: *Fluuius Araris primùm vocatus eſt Brigulus: ſed cùm Arar, frater Celtiberi, in ſyluis venando, Celtibe-*

rum apri dente diſciſſum, occiſúmque inueniſſet; Arar triſtitia correptus nimia, ſeipſum lethaliter percuſſum, coniicit in Brigulum; & aquis Briguli præfocatus, Arar Ararias nomine fecit aquas. Ararim Polybius σκωρας, quaſi immunditiarum receptaculum vocat lib. 3. ſed deinceps Araris fluuius Sangonæ, vel Sagonæ nomine inſignitus eſt: malè enim Sauconnam Ammianus appellat lib. 15. n. 28. & Saogonam Appendix Gregorij Turonenſis lib. 11. cap. 41. idque à ſanguine fuſo, non quidem cruenta illa ſtrage militum Albini, & Seueri Auguſtorum, qua ex Sabellico ad octoginta millia Romanorum occiſa ſunt; licèt Dio ſcribat, ſanguinem in fluuios defluxiſſe; non enim in Ararim; ſed in Rhodanum influere debuit ſanguis, commiſſis copiis trans Rhodanum, in campo, qui à ſanguine illo Romano effuſo, vulgò etiam hodie dicitur, *La plaine de Sang-fond*: ſed certè à pio cruore victimarum Deo dicatarum, & ſanguine innoxio Lugdunenſium Chriſtianorum, Seuero imperante,

rante,martyrio laureatorum, Arar Sangonæ nomen sortitus est, qui à sancto monte, & Vrbe superiori defluens, cruentatum Ararim, Deo sic iubente, ad suum caput retorsit.

11 *Prisciniaco vico.* Vides, Authorem Actorum S. Triuierij, iuxta caput 5. Euangelij S. Marci rectè distinguere villam, seu vatingam, obsoleto, & antiquato vocabulo, à vico, seu oppido, & vicum à ciuitate. *Quocunque introibat in vicos, vel in villas, aut ciuitates*, &c. ait de Christo. Porrò villa hæc, seu vatinga, de qua hîc mentio, ea est, quam inhabitabant pueri, absque dubio nobiles, Radiginsclus, & Salsulfus, iuxta quam prætetfluebat fluuiolus, aut torrens, nomine, *Moneta*, hodie corrupto nomine, *Moniam*: at verò villa hæc, iam castrum est, & oppidum muro cinctum, vulgò Sancti Triuierij, & Baroniæ titulo exornatum, distans sex millibus, seu leucis duabus à Prisciniaco vico, seu oppido, illis certè temporibus percelebri. Sed quod, & quo loco

illud Prisciniaci oppidum nunc sit, pronunciare difficile est. Certum ex Actis S. Desiderij, Viennensis Archiepiscopi, & eiusdem Martyrio, quod narrant Gregorius Turonensis, & Sigebertus anno 612. & Ado Viennensis anno 583. & eiusdem Adonis Appendix, & Ortelius in Thesauro, Prisciniacum oppidum extitisse ad Chalaronam, fluuium Dumbarum, neque distare multùm à loco, in quo lapidatus, occisúsque est S. Desiderius: cùm ipse ex quadam Insula, in qua damnatus exilio secundo degebat, egressus esset, vt scribit Aimonius, & Appendix Greg. Turon. &, vt probabile est, ex Insula Barbara, in qua certum est, Præsules sedibus pulsos, & excæcatos ibidem exules, detentos esse iussu Ebroïni, bipedum nequissimi. Qui locus hodie *Villa Sancti Desiderij* dicitur. Sed, vt dixi, quo loco situm fuerit illud Prisciniaci oppidum, variant Historici. Et primùm quidem, vides, non esse Prisciniacum oppidulum in agro Lugdunensi, quod vulgò

vulgò *Breignais* vocatur, iuxta cuius muros decurrit, non Chalarona, ſed torrens Garon, nomine vix affini ad Chalaronam. Vt tamen ſcribit Papyrius Maſſonus deſcriptione Galliæ per flumina, in Rhodano, pag. 24. & ex illo Colonus tom. 2. Chorographiæ, in Rhodano, pag. 106. forſan ex errore, qui irrepſit in Hiſtoriam Viennenſem, in qua Priſciniacum, à quo Reliquiarum S. Deſiderij facta eſt Tranſlatio 11. Februarij, vertitur *Breignais.* Neque eſt Priſciniacum villa illa iuxta Lugdunum, nomine *Calluyre*, quod figmentum Paradini lib. 2. Hiſt. Lugd. cap. 14. & Rubyſij lib. 3. eiuſdem Hiſtoriæ, c. 12. meritò explodit Indiculi SS. Lugdunenſium Author eruditiſſimus, Theophilus Raynaudus, Societatis Ieſu Theologus, verbo, *S. Deſiderius.* Sed ex probabiliori ſententia, Priſciniacum, vicus, & oppidum eſt, quod mutato oppidi dudum deſtructi ſitu, & nomine, iam à mutuato vicinioris caſtri vocabulo, *Thoiſſay* nuncupatur: ídque

ex antiquis instrumentis, quæ extare feruntur, & traditione. Certè oppidum illud, & iuxta fluuium Araris, seu Sangonæ est: insidet fluuiolo Chalaronæ præterfluenti: vicinus est loco, seu villæ Martyrij S. Desiderij, Viennensis Archiepiscopi, distátque milliaribus sex, seu leucis duabus à sepulcro S. Triuierij, iuxta Acta eiusdem S. Triuierij.

12 *Memphicus.* Quæ, & qualis sit hæc sylua, in qua triduo cum pueris aberrauit Triuierius, ex Ptolemeo, aliísque Geographis mihi adhuc incompertum est. Quidquid sit, in eadem elucet præclarum diuinæ prouidentiæ exemplum, erga viatores; sed non insolens, nec inusitatum in Vitis Patrum, & Actis Sanctorum. Accipe vnum omni acceptione maius, ex Actis Sancti Pauli, Eremitarum Patroni: *Cùm sarculum non haberet, quo terram foderet Anthonius, ecce duo leones ex interiori eremo, rapido cursu, ad Beati senis corpus feruntur, vt facilè intelligeretur, eos, quo modo poterant,*

ploratum

ploratum edere, qui certatim pedibus terram effodientes, foueam, quæ hominem commodè caperet, effecerunt, &c. Quis neſcit ex Hiſtoria Francorũ, Clodoueo Regi, totóque exercitui eiuſdẽ dimicaturo contra Alaricum, ceruam è ſylua proſilientem, vadum in Vigennæ fluuio oſtendiſſe?

13 *Multo tempore.* Scilicet, vſque ad annum felicis exitus S. Triuierij, quem quidem nõ conſignat vitæ Author; hoc eſt, ſpatio annorum vndecim, ſcilicet, ab anno 542. ſeu triennio expleto à captiuitate puerorum, vſque ad annum Verbi incarnati 553. quo eum diem extremum clauſiſſe, ordine retrogrado deprehendemus: atque 17. Kal Februarij, ſeu 20. Ianuarij, deceſſu certè auſpicatiſſimo, nec abſimili illi S. Pauli Eremitæ primi, de quo ſic Acta citata: *Cùm ad eius cellam perueniſſet Anthonius, inuenit genibus complicatis, erecta ceruice, extenſiſque manibus in altum, corpus exanime,* &c.

14 *Ad Sancti foſſam.* Cellulam, & Oratorium; in quo corpus S. Triuierij depoſitum

depoſitum fuerat, nuda humo, ſiue ſarcophago, & in veſte conſueta, coloni dixerunt: ſed more antiquorum Chriſtianorum, *ad Sancti foſſam.* Ita in Delfinatu locum ſepulturæ, & Monaſterium S. Theuderij, vbi eiuſdem caput expoſitum pietati fidelium, magno concurſu colebatur, ad Sancti Caput vocauerunt, vulgò, *à Sainct Chef.* Sed proh! miraculum planè ſtupendum. Spatio luſtrorum 14. hoc eſt, annorum ſeptuaginta, defoſſus, & inuiſus iacuit ſacer ille theſaurus, vſque eò, vt duo ſoli homines ſuperſtites viuerent, qui Sanctum viuentem aſpexiſſent: cùm diuina ſatagente prouidentia corpus eiuſdem, poſt tot luſtra, integrum, incorruptúmque, veſte ipſa illæſa, permanſit: vt, ſcilicet, vita Sancti Deo clariſſima, etiam profundiſſima humilitatis humo abſcondita, ſepultáque, per viſiones, & frequentia miracula renaſcens, de quibus dicendum poſteà, ſolari radio clarior, toto Orbe coruſcaret.

15 *Ad*

15 *Ad illuſtrem Sanctimonialem.* Ex hac voce, *Sanctimonialis*, duplicem ſenſum elicias, licet. Et primum quidem, quo apparet Epiphania, ſeu Emeno, illuſtris fœmina, & quæ iuxta illum locum prædia diuitiarum tenebat, vt ferunt Acta: & forſan, quæ de gente, & domo adoleſcentum duorum erat. Ea, quæ in coniugio, vel viduitate ſe orationibus, ieiuniis, & eleemoſynis exercens, cultum diuinum, & Religionem Chriſtianam totis viribus promouebat. Nec ſine exemplo. *Eutropia Matrona*, ait Sidonius Apollinaris Lugdunenſis lib. 6. epiſt. 2. ad Pragmatium, *quæ ad nos ſpectat ſingularis exempli, quæ parcimonia, & humanitate certantibus, non minùs ſe ieiuniis, quàm cibis pauperes paſcit, & in Chriſti cultus peruigil ſola in ſe compellit peccata dormire*, &c. Ita & Syagria, pariter Lugdunenſis matrona illuſtriſſima, & copioſiſſima, quam Ennodius vocat Eccleſiæ Lugdunenſis theſaurum, ob ſtipem largiſſimam, quam contulit in redemptionem capti-

uorum, quos ſupra ſex millia, à Guntranno II. Burgundo impetrauit S. Epiphanius. Potuit tamen Epiphania poſt ſacratam Deo virginitatem, velata, & Sanctimonialis, Familiam religioſam illic, & Monaſterium Virginum inſtituere, Lugduno Virgines aduocans; vigente Lugduni, longis anteà temporibus, Monaſterio percelebri Monialium Sancti Petri, certè non longè à martyrio Sanctorum Irenæi, & ſociorum; hoc eſt, circa ducentos, poſt Chriſtum natum, annos: vt docet apertè Inſtrumentum, alibi deſcribendum, fundationis, vel dotationis factæ in gratiam prædicti Monaſterij, per S. Ennemundum, Lugdunenſem Archiepiſcopum, & cauſa chariſſimarum ſororum ſuarum, Petronillæ, & Luciæ: quo quidem Inſtrumento ratas habet anteriores omnes, & antiquiſſimis temporibus factas dotationes à Comitibus, & viris Primoribus, gratia Virginum, Deo ibidem ſacro velo dicatarum. Tabularij verò Martyrium S. Ennemundi conſi-

gnant

gnant circa annum Chriſti 667. Ebroïno, hominum impiiſſimo, authore.

16 *Monaſterium nomine Auxilla.* Virorum hoc eſt Monaſterium, tribus millibus, ſeu leuca, diſtans à Priſciniaco. Sed quà versùs, & cuius Regulæ, non explicat Vitæ Author. Obſerua, ante hæc tempora, iam diu toto territorio Lugdunenſi, viguiſſe propagata aſceticorum Monachorum Monaſteria; atque ideò hos Auxillæ Monachos, vt probabile eſt, fuiſſe progeniem, & coloniam, non quidem Abbatiæ Sauigniaci, ſeu Sapiniaci: conſtat enim ex Chartis Pontij Abbatis 26. filij nobilis Aimonij de Laya, & poſteà Matiſconenſis Epiſcopi & ex Chartis Benedicti Maillardi; hoc Monaſterium fundatum Carolo Magno Imperatore, anno 765. Adalberto Abbate primo, cuius ſucceſſor num. 15. Gauſmarus, Sanctus, & perfectæ vitæ inſcribitur, qui quidem longo poſt mortem tempore, apparens muto à natiuitate, locutionem reddidit, vt indubitata ad Capitulum ferret man-

 data,

data, Eccleſiam ſuam variis Sanctorum Reliquiis, quas ipſe ex Palæſthina detulerat, ſicut & bonis temporalibus, penè innumeris, ditauit ab anno 960. ad annum 984. Sed, vt probabilior fert ſententia, fuit Auxilla ſurculus deciſus ab Abbatia Inſulæ Barbaræ, illic inſertus, in qua, vt vidimus ſuprà num. 5. vigebat Regula Sancti Dorothei. Ex quo corrigere poſſis Arnaldi Vioni Commentaria lib. 3. Ligni Vitæ, cap. 31. qui ſcribit, primum Patrem, ſeu Abbatem, apud Inſulam Barbaram, fuiſſe Sanctum Ambroſium, à teneris vnguiculis illic educatum, quem quidem pietate, & doctrina præfulgentem, S. Sigiſmundus Burgundio, ex eadem Inſula eductum, præfecit Agaunenſi Monaſterio à ſe fundato, in honorem S. Mauricij, & ſociorum legionis Thebææ militum. Eiuſdem Ambroſij Feſtum conſignant 2. Nouemb. Martyrologia Adonis, Bedæ, Vſuardi, &c. at verò Ledradus epiſt. ad Carolum Magnum citata, vocat illum illuſtrem.

luſtrem. Et Trithemius agit de illo, lib. 3.de Viris illuſtribus Ordinis S.Benedicti,cap. 237. in quo ſanè Viri eruditi Aduerſaria videntur emendanda: vixit enim Ambroſius Sigiſmundo Rege,qui obiit anno 527. at verò Regula S. Benedicti tantùm fuit approbata anno 590. Item & de eodem meminit Paradinus lib. 1. Hiſt. Lugd. cap. 2. & lib. 2. cap. 31. Seuertius in Lugdunenſibus num. 29. §. 5. Vel certè, ſi mauis,fuit Auxillæ Monaſterium, fruticatio Abbatiæ Athanatenſis,quæ pridem florebat,& normam viuendi æmulabatur Sancti Baldulphi Abbatis; qui quidem, alius omninò eſſe videtur, à S. Badulpho,vel Baldulpho Monacho, & Confeſſore,de quo in Martyrologio Benedictino,per Arnaldum Vionum 2. Ianuarij, Bobij,Monaſterio S.Columbani: vbi conſignatur eiuſdem Tranſlatio cum ſociis, vltima Auguſti, anno incerto. At verò S.Baldulphus noſter, Abbas Athanatenſis, Lugduni mortuus eſt: cuius corpus, ait Catalogus

Reliquiarum Monaſterij eiuſdem, excuſus in fine Miſſalis, ſuper eodem altari requieſcit; putà, ſuper quo erant venerationi cineres, & ſacræ Reliquiæ Sanctorum Photini, Blandinæ, & aliorum 48. Martyrum Athanatenſium. Cuius Feſtum ex Breuiario Athanatenſi nouem lectionum, cum Octaua, incidit infra Octauam Aſſumptionis B. V. Mariæ, & eiuſdem Acta petenda relinquuntur ex Legendario, quod certè periit. Extat Prioratus eiuſdem Abbatiæ fundatus in honorem S. Baldulphi, vulgò, *S. Badoul*, inter Lugdunum, & Viennam, oppido S. Symphoriani. Crediderim facilè, eundem S. Baldulphum, in Athenæo, cryptam, Sanctæ Blandinæ ſacram, ampliaſſe, illo templo, quod cùm vetuſtate labaret, reparaſſe S. Salonium, Archiepiſcopum Lugd. anno 454. ſcribit Paradinus lib. 2. Hiſt. Lugd cap. 14. & lib. de ſtatu Burgundiæ apud Claudium Bellieureum, Protopræſidem Gratianopolitanum, Lugduno ſuo Priſco MS. fol. 141.

141. & ex Champierio Seuertius in Lugd. num. 22. §. 3. Porrò eiuſdem Baldulphi Abbatis inſtitutum vigebat Lugduni anno 546. quo ex citato Miſſali, S. Anſelmo Abbati Athanatenſi, in ſomniis Deus dixit : *Cur non tranſmittis fratres tuos, Anſelmum, & Gaufredum, ad montem Lemenſem?* id eſt, Camberiũ, ad cuius Vrbis portas ſtat Monarium Lemẽſe. *Locus ille mihi amabilis eſt, & ibidem debent mihi famulari per longa tempora animæ iuſtæ*, &c. Vides ergo, ſicut Lemenſe, ita & Auxillæ Monaſterium à Monachis Athanatenſibus potuiſſe fundamenta recipere. De loco autem, & ſitu Monaſterij Auxillæ, velle definire, diuinare eſt. Quorundam coniectura eſt, ſtetiſſe in ruderibus Cecin; macerie iacente inter caſtella, Tauerno-Villon, & Grauins : quia traditio conſtans eſt, ibidem olim fuiſſe virorum Monaſterium, quod permutatum eſt in Virginum, quæ inde authoritate epiſcopali tranſlatæ ſunt in Prioratum Breſſiæ, Virginum Neovillæ. Certè lo-

cus ille tribus milliaribus distat æqualiter à Prisciniaco, seu Thoyssay, & sepulcro, oppidóque Sancti Triuierij, iuxta Acta.

17 *Tres senes Sacerdotes.* Pleni religione sanctitatis, & seniores in Clero dicuntur tres isti Sacerdotes. De Symphoriano, & Transulpho, Presbyteris Lugd. nihil lego. De Eusebio verò Diacono, aliqua. Et quidem non videtur hic Eusebius, ille Lugdunensis, qui olim in Philosophicis magister erat Sidonij Apollinaris. Vir æui sui eruditissimus, ait Iacobus Syrmundus, Scholiastes doctissimus; de quo scribit Sidonius Hesperio, condiscipulo suo, lib.4. epist. 1. & Auito, in eadem schola commilitoni, lib. 3. epist. 1. sed Probo, suæ sororis marito, lib.4. epist. 1. in hæc verba silentio non prætereunda: *Et verè inter Eusebianos lares, talium te quædam moneta susceperat disciplinarum*, &c. *Sic & tu iam sub Eusebio nostro inter Aristotelicas categorias, artifex dialecticus Atticissabas, cùm ille adhuc ætatulam nostram, mobilem,*

mobilem, teneram, crudam modò, castigatoria seueritate decoqueret, &c. Ex quibus vides perspicuè, Sidonio adolescentulo virum, ætatísque prouectæ fuisse hunc Eusebium Philosophum, cuius tempora nullo modo æquari possunt temporibus nostri Eusebij, Diaconi Ecclesiæ Lugd. Vixit hic, Secundino Archiepiscopo Lugd. qui sedit ex tabulis, ab anno Christi 608. ad 613. vel potiùs ad 625. vt dicetur posteà num. 19. At verò Sidonius senex obiit Zenone imperante, ab anno 474. ad 491. Itaque libens eo in eorum sententiam, qui hunc Eusebium Diaconum, esse suspicantur, Eusebium illum Gallicanum, qui in Bibliotheca Patrum probatur Collector Homiliarum SS. Eucherij, Faustini, Cæsarij, & aliorum, falsò euulgatarum nomine Eusebij Emisseni, videtúrque Author earum Homiliarum, quæ inter citatas extant ad Monachos, quas habuit, si non Monachus, aut Abbas, aut Episcopus, saltem Episcopi Lugdunensis Vicarius, quo

præſente illas habuiſſe hortationes legentibus, perſpicuè patet. Sed,quidquid ſentias de illo Euſebio Gallicano, noſter hic Euſebius Diaconus, poſt canonizationem, vt vocant, S. Triuierij, Secundino Archiepiſcopo celebratam, de qua poſteà, quia ex Actis dicitur Sacerdos,& Diaconus plenus religione ſanctitatis,& ſenex in Clero Lugdunenſi,videtur planè ipſiſſimus,quem in numerum Sanctorum Lugdunenſium relatum fuiſſe teſtatur Breuiarium Eccleſiæ maioris Lugdunenſis, & Abbatiæ Athanatenſis,menſe Auguſto. Sed audi Catalogum ſacrarum Reliquiarum Sanctorum Lugd. comprobatum perquiſitione authentica, & indubitata, Doctorum octo,ex Inſtrumento, quod refert Seuertius,in Lugd.num.27. §. 3. *Item, in alio tumulo corpus B. Euſebij Confeſſoris, cuius nomen lapis ſuperpoſitus portendebat.* De illo tacet Indiculus SS. Lugdun.

18 *Leuantes ſanctum corpus.* Videas, velim, antiquum Sanctos vindicandi,

candi, seu canonizandi ritum: probata enim vitæ sanctitate Triuierij, non solùm ex instituti ratione, humilitate, paupertate, castitate, obedientia, beatóque fine; sed etiam ex miraculis ante, & post mortem, forsan iuratis testibus comprobatis; Episcopus Lugdunensis tres senes doctrina, pietatéque præstantes in Clero destinat, qui ex visionibus repertum corpus integerrimum, illæsáque veste, post annos septuaginta, odore suauissimo fragrans, leuantes ex sepulcro, cellula in Sacellum commutata, erecto altari, cereis flammantibus processionaliter, Clericis, Sacerdotibúsque psallentibus in altari reponunt, omnibus colendum. Tùm verò Episcopus Secundinus altare transmittit, vt vocant, portatile, super quo, aiunt Acta, *Christo hostiæ litantur iugiter, orationum Officia funduntur, remedia ægris, precantium vota, & solennia beneficiorum accommodantur.*

19 *Pontifex Secundinus.* Patet ex tabulis Episcoporum Lugd. Secundi-

num ſediſſe num. 37. idque ab anno Chriſti 608. vſque ad annum 625. ſcribebat enim Actorum S. Triuierij Author, iuxta antiquum Catalogum Eccleſiæ maioris, in quo Secundinum ſequitur immediatè Arigius; inter quos tamen Seuertius ingerit, importunè, vel opportunè, hîc non diſputo, Dalfinum, & Cagnoaldum. Ex quibus coniicere licet, non ſolùm tempus felicis obitus S. Triuierij; ſed etiam eiuſdem vitæ ſeriem, ordine retrogrado. Demus enim vindicatum S. Triuierium Secundino Archiepiſcopo Lugdunenſi, circa annum 623. aut 24. idque poſt luſtra quatuordecim, id eſt, annos ſeptuaginta felicis tranſitus eiuſdem: ſanè deprehendes, S. Triuierium mortuum, ſepultúmque anno Chriſti 553. Supponamus item, quod ex Actis Vitæ probatum eſt, Francos eſſe populatos Burgundiam, anno 534. puerósque remiſſos, poſt tres annos captiuitatis, hoc eſt, anno 542. Certè in agro Dumbenſi, ignotum, & oues paſcentem, commoratum

ratum eſſe S. Triuierium, per annos vndecim, neceſſe eſt, ſcilicet, vſque ad annum obitus conſignatum 553. Quandiu autem in Monaſterio Taruannenſi Clericus vixerit, ante ſuſceptum iter in Gallias, incertum eſt. Hoc ſolum habes ex Actis, eundem iam luſtra octo, id eſt, annos quadraginta natum, cùm ad dignitatem Clericatus prouectus eſt, quibus omnibus, ſi vis addere annos decem, aut viginti tranſactos, in Monaſterio, à Clericatu ſuſcepto, videbis obiiſſe Sanctum Triuierium, ſeptuagenario maiorem, ſeu *longæuum, & multis temporibus*, vt ferunt Acta vitæ.

20 *Galliniam.* Vnico quidem, ſed planè indubitato miraculo Author Actorum S. Triuierij, Lectori factum ſatis exiſtimauit in virgine Gallinia Lugdunenſi, à natiuitate membris omnibus capta, filia nobilis Nigofredi, & Marcellæ, coniugis pariter nobiliſſimæ, de quo ſuprà in Actis. Opus eſſet iuſto Volumine; ſi patrata ad S. Triuierij ſepulcrum miracula, ta-

bulis conſignata fuiſſent, de quibus ait Vitæ Author: *Claudi greſſum, cæci viſum, ægri ſanitatem recepêre.* Quorum præcipua depicta circa Sancti effigiem complectebatur, in Sacello, altaris tabella, nuper vetuſtate collapſa, & adeò exeſa, detritáque, vt certò miracula dignoſci non valuerint, cuius loco alteram ſubſtituit loci Dynaſta, & Baro prædictus, Dom. Moyron.

Standum eſt pollicitis & explicanda benignè narratio nobilis viri, Balleurei Sauinliani, aſſerentis, vt dictum eſt ſuprà num. 3. Sanctum Triuierium natione Anglum, in Gallias veniſſe poſt bellum Pictauienſe, & annum Chriſti 1356. Probabile eſt illum, quem affert de domo, & gente nobili Chabeuf, Baronem, & Dynaſtam oppidorum duorum, vnius quidem ſuperiori Breſſia; alterius verò in Dumbis, vbi ſciebat depoſitum ſeruari ſacrum pignus Reliquiarum S. Triuierij Patroni ſui colendi; atque eundem poſt dictum bellum Pictauienſe, cùm in Anglia, & Rege

Ioanne

Ioanne detentus eſſet, vouiſſe Deo, ſi precibus Sancti ſanus, & ſoſpes ſuis reſtitueretur, caſtra, ſeu oppida illa ſua nomini, venerationíque Sancti Triuierij dicaturum, & conſecratutum: quod vtrunque feliciter præſtitum eſſe credendum eſt, magno Dumbarum, Breſſiæque emolumento, niſi aliud doceat Hiſtoria Breſſiæ, quam breui euulgaturus eſt eruditus, & diſertus cauſarum Patronus in Præfectura eiuſdem Breſſiæ, Samuel Guichenonus. Quando autem, & à quo Dynaſta euocati ſint Monachi Caſæ Dei, qui iacerent fundamenta Prioratus, in oppido S. Triuierij, qui poſtmodum venit in poteſtatem Ordinis S. Franciſci de Paula Minimorum, alibi fuſiùs docendum eſt.

FINIS.

APPROBATIO.

Nos infrascripti Doctores Theologi Parisienses Librum, cui titulus est: *S. Triuierij, Confessoris, Dumbarum, & Bressiæ Patroni, Vita*, &c. approbauimus: in cuius fidem syngraphas nostras apposuimus. Datum Lugduni die 3. Ianuarij, 1647..

Fr. MICHAEL MICARD, Franciscanus.

Fr. STEPHANVS MOLIN, Carmelita.

Imprimendi Facultas.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in sacra Theologia Magister, in Ecclesia S. Crucis Custos, & D. D. ALPHONSI LVDOVICI DV PLESSIS DE RICHELIEV, Eminentissimi Cardinalis, ac Reuerendissimi Archiepiscopi Lugdunensis Prouicarius Generalis: Librum inscriptum: *S. Triuierij, Confessoris, Dumbarum, & Bressiæ Patroni, Vita*, &c. à Theologis visum, & approbatum in lucem edi facultatem concedimus. Lugduni die 4. Ianuarij, 1647.

DEVILLE.

CONSENSVS.

VITAM *S. Triuierij, Confessoris, Dumbarum, & Bressiæ Patroni*, &c. typis mandari, Ego Regis Consiliarius, & Procurator in Lugdunensi Præfectura non impedio. Lugduni die 5. Ianuarij, 1647.

LORIN.

PERMISSIO.

VISO Procuratoris Regis consensu hanc Vitam typis mandari Hæred. Ionæ Gauthein concedimus, & ne quis vltra concessam facultatem denuò excudat, prohibemus. Lugduni iisdem die, & anno.

SEVE.